

ges habebat, velut alas habentem medio pelago volitare: hanc tardam, & quasi impedito remigio hærere. Abiit itaque hostis per ocium, in Dalmatiamque ire pergit. Pisanus, quia nullum Veneti in ea terra portum habebant, ad lœvam in Appulum littus flexit. Sub id tempus quinque longis navibus post Catari expugnationem, jussu Patrum instructis, cum ea quæ victoriam nunciatum venerat, ex urbe ut ad classem irent profectis, tres Ligusticæ circa Berifones occurrerunt. Fuerant illæ aliquandiu non sine Venetorum clade longe lateque vagatae, oppresserantque per occasionem onerarias non paucas. Venetus eas procul conspicatus, in hostem ultionis cupidus continuo fletit cursum. Ligur vero nihilo segnus fugam capessit, nec prius aut illi insequendi, aut huic fugiendi finis fuit, quam in Jaderæ conspectum sit ventum. Tum omisso hoste, Brundusium Venetæ triremes concessere. Hic audito Ligusticæ classis in Dalmatiam adventu, sese in ipso portu tenuere, veriti ne si ulterius ire pergerent, ab hoste interciperentur. Est Brundusinus portus natura perspicuus, uno ostio multi variique portus includuntur, nullis fluctuum agitationibus obnoxii: plerique sinus placidissimi insunt, quorum singuli tranquillam præstant navibus stationem: estque ipsa forma cervi cornibus simillima, unde urbi nomen inditum ajunt, quia portus cum reliquo oppido fit cervino capiti (quod Messapia lingua Brundusium dicitur) perquam similis. Turres igitur, quæ sunt circa fauces, ab oppidanis acceptas valido præsidio Venetus firmat: terrestri inde itinere ad Pisanum mittit, qui cum majore classe in ora Appuliæ esse dicebatur, se Brundusino portu confedisse significant: vereri ne si ulterius ire pergerent, ab hoste, qui proximo loco esset, interciperentur. Cognito suorum periculo, confessim Victor Brundusium venit: hic sex longis navibus priori numero adjectis, unius & tringinta triremium classem explevit: quibus viribus fretus in Dalmatiam subito cursu tetendit, ut Genuenibus Jaderam pertinentibus se aliquo modo objiceret. Quod ubi illi audire, Tragurium se celeri cursu obtulerunt.

Sed